

nulla vi detrahatur, quo neque dolori, neque spei, neque timor sit aditus, nec ulli rei, quae deterius summi boni jus faciat. Excedere autem illo sola virtus potest. Illius gradu clivus iste frangendus est; illa fortiter stabit, et quidquid evenerit, feret, non patiens tantum, sed etiam volens; omnemque temporum difficultatem sciet legem esse naturae. Et ut bonus miles feret vulnera, enumerabit cicatrices, et transverberatus telis, moriens amabit eum, pro quo cadit, imperatorem: habebit in animo illud vetus praeceptum: Deum sequere. Quisquis autem queritur, et plorat et gemit, imperata facere vi cogitur, et invitus rapitur ad jussa nihilominus. Quae autem dementia est, potius trahi, quam sequi? Tam mehercule, quam stultitia et ignorantia conditionis suae, dolere, quod aliquid tibi incidit durius; aut mirari, aut indigne ferre ea, quae tam bonis accidentunt, quam malis. Morbos dico, funera, debilitates, et cetera ex transverso in vitam humanam incurrentia. Quidquid ex universi constitutione patiendum est, magno nisu eripiatur animo. Ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia; nec perturbari his, quae vitare nostrae potestatis non est. In regno nati sumus: Deo parere, libertas est.

XVI. Ergo in virtute posita est vera felicitas. Quid haec tibi suadet? Ne quid aut bonum, aut malum existimes, quod nec virtute, nec malitia contingat: deinde, ut sis immobilis et contra malum ex bono, ut, qua fas est, Deum effingas. Quid tibi pro hac expeditione promittitur? ingentia et aequa divinis. Nihil cogeris: nullo indigebis: liber eris, tutus, indemnus: nihil frustra tentabis, nihil prohibeberis. Omnia tibi ex sententia cedent: nihil adversum accidet; nihil contra opinionem ac voluntatem. Quid ergo? virtus ad vivendum beate sufficit? Perfecta illa et divina quidni sufficiat? immo superfluit. Quid enim deesse potest extra desiderium omnium posito? quid extrinsecus opus est ei, qui omnia sua in se collegit? Sed ei, qui ad virtutem